Quaestio Medica

Quodlibetarijs Disputatoibus agitanda In Scholis Medicorum

Die Iouis 15a Februarii.

Eruditiſſimo Viro D. Ludouico Thibaut Doct. Medico Moder. Prudentiſſ.

An, vt corporum diatheſis eſt, ita peſtis inuadit?

COMMVNIVM *morborum nullius hominum generi peſte, nec calamitoſior, nec modis pluribus infeſtior: Quæ cùm in omnes ſæuiat animantes, piſcibus etiam non parcit: Sæpius verò hominem aggreditur, nec vllam eius ætatem (quamuis ſenes rarius) ſinit immunem. Cauſa eius efficiens eſt, & θεῖόν τι, & ab eo differens, occulta aëris qualitas, à cœlo demiſſa, vitæ humanæ, toto genere infenſa, quæ nullo æſtu reſoluitur, aut frigore extinguitur. Pernicies illa aëris interdum ab aliqua intẽperie calida nempe, & humida pendet, qualem Auſter inuehit, aut mephytide & tetris vaporibus, quos expirant paludes, lacunæ, fodinæ, ſpecus, lauatrinæ, ſtagnantes aquæ, & inſepulta hominum cadauera. Nõnunquam ὁ λοιμὸς μετὰ λιμὸν ſuccedit, quanquam hæc multo minus cõtagioſa, neque orbẽ vt illa, vniuerſum peruagatur.*

PESTILENS *illa lues contactu, fomite, & ad diſtans contagioſa, inſpiratu, vel clam per cutis ſpiracula admiſſa, cordis arcẽ inuadit, primúmque ſpiritus, deinde gliſcente veneno humores, tandémque ſolidã eius ſubſtãtiam corrũpit: hinc febris maligna, peracuta, pernicioſiſſima, vulgatæ putredinis modũ ſuperans accenditur, quæ vt eſt verſipellis & inſidioſa, ita hominem incautum plerumque proſternit, ſæuis comitata ſymptomatis, quæ illi cum multis aliis communia exiſtunt. Certiores cacoëthiæ indices ſunt Bubones, meliore auſpicio febrem ſequuti: Carbunculi, qui quo plures, fontíq; caloris viciniores, eò ſunt deteriores: cutis vibices & exanthemata, quæ ſi intro recurrant, in propinquo mortem ſubeſſe teſtantur.*

AGENTIS *prioris θεία vis, nulli eſt euitabilis, ſed poſterioris damnoſa pernicies ab aliis, atque aliis, celerius aut tardius contrahitur, pro ratione temporis, tẽperaturæ, ætatis, habitus, virium, & generis vitæ: Sic calor & cutis raritas, viros mulieribus, iuuenes ſenioribus: humorum tenuitas, bilioſos melancholicis: mollicies & viriũ infirmitas, pueros iuuenibus, ſanis valetudinarios: ſuccorum impuritas, helluones σαρκοφάγους, temperantibus: ſordicies, plebeios magnatibus, ad peſtẽ ſuſcipiendam reddit paratiores. Promptius quoque afficiũtur plethorici, cacochymi, prægnantes mulieres, aut virgines viro maturæ, adoleſcentuli ſalaces & φιλογυνεῖς, ieiuni aut vacuati, meticuloſi & qui motu vehementi incaleſcunt, aut labore fatiſcunt.*

QVONIAM *verò, tuendæ ſanitati Venus nõ parum cõferat, ſi nec corporis lãguor, nec dolor eã conſequatur: tamen in eius cultura naturæ, ætatis, tẽporis (potiſſimum peſtilentis) & vitæ conditionis habenda ratio. Quæ intempeſtiua eſt, vel immoderata, ventri ſegnitiem adfert, vaſis cacochymiam, cordi languorem, viſui hebetudinem, articulis, cerebro, toti denique corpori infirmitatem: Quinetiam ſi æſtate, aut cœli ſtatu peſtifero paulo frequẽtius excolatur, exhauſtis ſpiritibus, humores calefacit, & exagitat, corpora humectat, & ita relaxat vt virulentã auram facile excipiant, cui vires nimiùm attritæ, non poſſunt obſiſtere.*

PROPHYLAXEως *tota ratio in eo verſatur, vt agẽtis alterius cauſæ vis refringatur, corpúſque vniuerſum ab excremẽtis, omníque ſordicie vindicetur: Quare vel citò aër mutandus, igne & odoratis omnibus corrigendus, labor & ſomnus ſunto mediocria, cibus ſit εὔχυμος, εὔπεπτος, & deſiccans, aluus perpetuò libera, prohibitis hypocauſtis, impenſè clauſtra laxantibus. Impetus ad Venerem, metúſque inter cætera coerceatur. In ſumma calor nunquam intendatur, neque reſpirationis vſus augeatur. Corpus verò ipſum minimè humectetur, ſed ſi plethoricum fuerit, vita frugali potius, quàm phlebotomia inaniatur: ſin cacochymũ, catapotiis cõmunibus repurgetur, non neglecta ſolennium vacuationum ſuppreſſione. Intereà aduerſus luem muniendum, non tantum theriaca communi venenatorũ morborum alexiterio, verùm etiam cibis boni ſucci, frequenter exhibitis, vino & amaris omnibus, acidis, deſiccantibus, & odoratis, quæ putredini reſiſtunt, ſpiritus reparant, & partes nobiles confirmant.*

Corporum igitur vt diatheſis eſt, ita peſtis inuadit.

Aſſerebat Georgius Cornuty Lugdunenſis, 1582.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Cotereau.
M. Claudius Fouelet.
M. Ioannes de Gayete.

M. Henricus de Monantheuil profeſſor Regius.
M. Anthonius du Val.
M. Yvertius Arragon.

M. Oliuerius de Violayne Med. Regius.
M. Girardus Deniſot.
M. Ioannes le Gay.